

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Chronicon Skibyense

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 75. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415585047136/facsimile.pdf> (tilgået 27. april 2024)

Anvendt udgave: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*

delationibus multi periissent, nisi fuissent diuina
prouidentia seruati. Merito igitur in eum laqueum
incidit, quem multis parauerat. Itaque cum ducere-
tur a carnifice laqueo perdendus, ex calumniatore et
5 blasphemo factus contionator insignis, suadebat
adolescentibus, ut semper meminerint huius senten-
tie propheticæ, Nolite confidere in principibus, neque
in filiis hominum, in quibus non est salus. |

36 Anno domini .1517. Missus est in Datiam a Leone
10 decimo pontifice maximo D. Angelus Arcimboldus,
qui nimio potestatis sue ac commissionis abusu dedit
occasionem ipsi Lutheranismò, nunc per Germani-
am grassanti aliasque finitimas regiones. Olim uenie-
bant legationes ex urbe Rhoma, que plurimum ha-
15 bebant edificationis, fructus ac utilitatis, aut ad pie-
tatem promouendam, Christianeque religionis sacra-
menta propaganda, aut etiam ad fidei dogmata con-
firmanda, heresesque extirpandas. Verum hec cum
paucis superioribus, inuersis rerum uicibus, adeo
20 fuit scandalosa, ut omnem pietatem ac religionem
mera licentia extinxerit, eo quod inciderat in Com-
missarios, luxu, fastu, ambitione, libidine, volup-
tate, aliisque innumeris uiciis perditissimos, quorum
culpa factum est, ut sancta illa Romana ecclesia to-
25 cius orbis magistra, olim sanctissimis uiris eximia,
nunc male audiat per multas orbis nationes, uoce-
turque infamis Babylonia, que olim habita est Chri-
stiane religionis precipua mater, rectrix et guber-
natrix. |

Arcimboldus in Dani-
am legatus
mittitur.

37 Eodem anno mortua est Columba Christierni regis
concupina, cuius morte ab impiissimo crudelissi-
moque principe quesita est ansa perdendi multos,

Moritur
regis concu-
pina.